

creaturis, ac nonnunquam etiam ab ipso diabolo petunt: quod est infantiæ & occæcationis genus deterrimum, puta bonum à malo, vitam à morte, beatitudinem à damnatis, benedictionem à maledictis, lucem à tenebris expectare. Sicut è contra summa sapientia est, bonum quærere apud omnis boni scaturiginem, vitam apud vitæ auctorem, beatitudinem apud fontem salutis, auxiliũ deniq; apud eũ qui omnia potest, & cui factu nihil est difficile.

Ex superbia nascitur extrema stultitia & cecitas.

CAPITULUM XXIV.

DE PRÆSTANTIA CHARITATIS, illiusq; efficacia & sinceritate.

I. Joan. 4. *Qui non diligit, non novit Deum, quia Deus charitas est.*

Charitas, Paulo teste, virtutum maxima est, & sine illa omnia dona nihili sunt: qui proinde jubet omnia in charitate facere, sicut Christus in eadem orare præcepit Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo.* In oratione autem dominica reconciliatio Dei & proximi sunt connexæ. Porro charitas hoc præ cæteris

In amore orandũ est exemplo Christi.